




PALAEASTRA LATINA



S U M M A R I U M

NUMERUS ORATORIUS APUD CICERONEM.

(Henricus Martija.)

SOCIETATI JESU MEAE. (Josephus Llobera.)

PRIMUM ET PRIMO. (L. Fanlo.)

APOLLO IN BELVEDERE. (Phidiacus.)

DOMUS PATERNAE DESERTOR. (P. Philoponus.)

DE RE RUSTICA. (I. González.)

EXIMIA A JUVENE CLARET REPORTATA VICTORIA.

(Jacobus M. Codina.)

EXERCITATIONES SCHOLARES.

PER ORBEM.

BIBLIOGRAPHIA. (JOVÉ, GIRAL)

Ordinarii atque Superiorum permisso

PALAEESTRA LATINA (Annus 1. 9 fasciculi-6 pessetis)

CERVERA - UNIVERSIDAD - ESPAÑA (Lérida)

Avenarius noster, qua est benevolentia, versibus Latinis duas cantilenas reddidit apud Germanos in sua lingua laetanti animo atque festivo saepe decantatas. Qui melodiam noverint, sive Germani erunt sive minus, libenter eas latine recantabunt.

Una igitur est notissimum illud «Stille Nacht» quod Natali Christi omnibus in oribus et faucibus est. Sic habet:

- | | |
|---|--|
| <p>1. <i>Dum silent nocte sacra
Cetera, unice
Sanctum par hominum vigilat:
Sommus te placidus teneat,
Te, Divine Puer,
Te, Divine Puer.</i></p> | <p>1. <i>Stille Nacht, heilige Nacht!
Alles schläft; einsam wacht
nur das heilige Elternpaar
das im Stalle zu Bethlehem war
bei dem himmlischen Kind,
bei dem himmlischen Kind.</i></p> |
| <p>2. <i>Quod prius nocte sacra
Angeli nuntiant
Pastorum vigili globo,
Late per terram resonat:
Christus ecce salus
Christus ecce salus</i></p> | <p>2. <i>Stille Nacht, heilige Nacht!
Hirten wird's kund gemacht,
durch der Engel Halleluja
tönt es laut von fern und nah:
Christ, der Retter. ist da,
Christ, der Retter ist da.</i></p> |
| <p>3. <i>Omnia nocte sacra
Dum silent, gratia
Caeli ridet ab ore tuo,
Te nascente vita datur,
Jesu, perpetua,
Jesu, perpetua.</i></p> | <p>3. <i>Stille Nacht heilige Nacht!
Gottes Sohn, o wie lacht
Lieb' aus deinem göttlichen Mund
da uns schlägt die rettende Stund'.
Christ, in deiner Geburt,
Christ, in deiner Geburt!</i></p> |

Altera cantiuncula germanice inscribitur «Morgenrot» a primo vocabulo. Est autem talis;

- | | |
|---|---|
| <p>1. <i>Lux nova (bis)
Finem vitae nuntiat.
Illico tuba canetur,
Vita nobis auferetur,
Corruemus milites (bis).</i></p> | <p>1. <i>Morgenrot
leuchtest mir zum frühen Tod?
Bald wird die Trompete blasen
dann muss ich mein Leben lassen
ich und mancher Kamerad.</i></p> |
| <p>2. <i>Quam brevi (bis)
Forma tabet et color!
Lac et purpuram genarum,
Si jactas, scito rosarum
Quam nitor cadat cito (bis)</i></p> | <p>2. <i>Kaum gedacht,
war der Lust ein End' gemacht.
Gestern noch auf stolzen Rossen,
heute durch die Brut geschossen,
morgen in das kühle Grab!</i></p> |
| <p>3. <i>Ocius (bis)
Nos, quod est carum, fugit:
Heri currebam beatus,
Post equo labar foratus,
Cras sepulcro contegar (bis)</i></p> | <p>3. <i>Ach, wie bald.
schwindet Schönheit und Gestalt!
Tust du stolz mit deinen Wangen,
die wie Milch und Purpur prangen?
Ach, die Rosen welken all!</i></p> |
| <p>4. <i>Hinc feram (bis)
Quae Deus paraverit,
Ergo fortiter pugnabo;
Mortem, si non evitabo,
Non ignoravus oppetam (bis).</i></p> | <p>4. <i>Darum still
füg' ich mich, wie Gott es will.
Nun, so will ich wacker streiten,
und sollt' ich den Tod erleiden,
stirbt ein braver Reitersmann.</i></p> |

Vertit A. HABERL, S. V. D.

W. HAUFF,

CANDIDATUS LATINUS (12 fasciculi-10 pessetis)



MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, soluzione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

Numerus oratorius apud Ciceronem

Gens Romana non aliter ac Graeca numerum orationis et rythmum percipiebat, iisque summo quidem opere delectabatur. «Me stante, ait Cicero,⁽¹⁾ C. Carbo tribunus plebis in contione dixit his verbis: quicumque eam violavissent ab omnibus esse ei poenas per solutas... Patris dictum temeritas filii *comprobavit*. Hoc dichoreo tantus clamor contionis excitatus est ut admirabile esset».

Hinc factum est ut artis dicendi peritissimus quisque sive Graecorum sive Romanorum, elaborati sermonis concinnitate, audiendum aures permulcere maxime niteretur. Inter Graecos, Isocrates primus intellexit in oratione soluta modum tamen et numerum servari oportere.⁽²⁾ Nec «Demosthenis fulmina tantopere vibratura nisi numeris contorta ferrentur».⁽³⁾ Inter Romanos, M. Tullium Ciceronem non solum splendido dicendi genere, sed etiam rythmiae orationis suavitate reliquis praestitisse nemo est qui ignoret. Qua autem ratione id adsecutus sit, aut etiam quid sit *apte terminare sententias* longe difficilius est sentire. Immo de solvenda tam obscura quaestione forte desperandum esset, nisi ipse Tullius viam nobis aperuisset. In libro enim qui *Orator* inscribitur, quid sit numerus oratorius perfecte explicavit; multis eum partibus contineri, et verborum delectu,

(1) *Orator* LXII, 212-14. — (2) *Id.* 32. — (3) *Cle.* citatus a *Quint. Instit. Orat.* IX, 4, 45.

et vitando concursu duriorum litterarum, et oppositis membris paribus similibusque, et apte permixtis brevibus longisque syllabis.

Videamus I.) quid de numero oratorio senserit Tullius; II.) quomodo id in praxim reduxerit.

I) Cicero in scriptis saepissime adserit, ad pulcre ornateque dicendum, esse oratorios numeros observandos ratione quadam.⁽¹⁾ Est igitur numerus oratorius «modulatio quaedam et sonoritas elocutionis, quam efficit cum longarum et brevium syllabarum, tum partium sententiae vel aequalium vel inaequalium apta compositio».⁽²⁾

1) Numerus oratorius in hoc differt a poëtico, quod est liberius et vere solutus,⁽³⁾ continuatio nempe verborum, quae duas res maxime, conlocationem primum, deinde modum quemdam formamque desiderat;⁽⁴⁾ unde rythmus in oratione nihil aliud efficit nisi ut sit apte verbis comprehensa sententia. Recte vero notat Quintilianus,⁽⁵⁾ rationem numeri in oratione multo difficilorem esse quam in versu: «primum, ait, quod versus paucis continetur, oratio longiores habet saepe circuitus; deinde quod versus semper similis sibi est et una ratione decurrit, orationis compositio nisi varia, et offendit similitudine et in affectatione deprehenditur».

2) Numerus pro diversis dicendi stylis diversus esse debet: «Mollis est enim oratio philosophorum, non vincta numeris, sed soluta liberius.»⁽⁶⁾ Huic generi historia finitima est, in qua et narratur ornata et regio saepe et pugna describitur; interponuntur etiam contiones et adhortationes: sed in his tracta quaedam et pluries expetitur, non haec concisa et acris oratio.⁽⁷⁾ In genere oratorio rythmus debet aliquibus regulis subjici, praincipue in amplificatione et peroratione.

3) «Ne in versum aut similitudinem versus incidamus»,⁽⁸⁾ quod vitium non satis effugisse videtur M. Tullius,⁽⁹⁾ ut ipse fatetur.

4) Jam a principio periodi ferri debet verborum illa comprehensionis et tota a capite per diversa membra fluere ut ad extremum veniens eadem consistat. Sed nihil tam debet esse numerosum quam clausula, id est periodi finis, quod in ea perfectio et absolutio judicatur.⁽¹⁰⁾ Sunt clausulae plures quae numerose et jucunde cadant. Nam et creticus qui est e longa et brevi et longa (—o--), et ejus aequalis paeon qui spatio par est, syllaba longior (— o o), quam commodissime putatur in orationem solutam illigari. Sed hos cum in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo; adjungo, quod minimum est, proximum superiorem, saepe etiam tertium... Ne spondeus quidem penitus est repudiandus; etsi quod est e longis duabus

(1) *Orat.* 77; *conf. De Orat.* III 173. — (2) **Colonia Elementa Artis Reth** p. 80. — (3) *De Orat.* III, 184 — (4) *Id.* 171 — (5) *Inst. Orat.* IX, 4, 60. — (6) *Orat.* 64. — (7) *Id* 66. — (8) *De Orat.* III, 182. — (9) *Cfr. Divinatio prima:* Si quis vestrum judices aut eorum qui adsumt (sotodium). *In Pisonem:* Pro dii inmortales qui hic inluxit dies (trimetrum) — (10) *De Orat.* III, 192; **Quint.** IX, 4, 61.

(—), hebetior videtur et tardior, habet tamen stabilem quemdam et non expertem dignitatis gradum; in incisionibus vero multo magis et in membris.

Dochmius autem (— — —) quovis loco aptus est dum semel ponatur: iteratus aut continuatus numerum apertum et nimis insig- nem facit.⁽¹⁾

Alii textus inter se pugnantes reperiuntur in libris *Orator* et *de Oratore*, alii vero in quibus Tullius clausulas in praxi damnatas admittere videatur.⁽²⁾ Non una omnium est in hac re auctorum recentiorum opinio, quorum plerique textus adulteratos autumant.⁽³⁾

II) His igitur liberae commentatorum disquisitioni relictis, si quaerere velis, amice lector, quatenus id quod doceret Tullius ipse exsecutus sit, facile est experimentum. Si orationes Ciceronis tibi praesto sunt, librum quovis loco aperi; omnes fere sententiae una ex his clausulis finem habent:

Dichoreus	(— <u>o</u> <u>o</u>)	=	comprobavit,
Creticus cum spondeo	(— <u>o</u> — <u>o</u>)	=	arbores essent,
Paeon cuin spondeo	(— <u>oo</u> — <u>o</u>)	=	esse videatur (quae reprehenditur a Quint.)
Duo cretici	(— <u>o</u> — <u>o</u> <u>o</u>)	=	splendet oratio.
Duo spondei	(— <u>o</u> — <u>o</u>)	=	condemnatis. ⁽⁴⁾

Exemplo sit celeberrimum exordium in Catilinam: «Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? (creticus cum spondeo). Quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet? (duo spondei), Quem ad finem sese effrenata jactabit audacia? (duo cretici) Nihilne te nocturnum praesidium Palatii... nihil horum ora vultusque moverunt? (creticus cum spondeo). Patere tua consilia non sentis, constrictam jam horum omnium conscientia teneri conjurationem tuam non vides? (duo cretici). Quid proxima, quid superiore nocte egeris... quem nostrum ignorare arbitraris? (dichoreus).

Ceteras clausulas adhibitas invenies apud Ciceronem in mediis periodis, in incisis et membris, non vero in fine sententiarum; sunt enim, ut recte ait Quintilianus⁽⁵⁾ clausulae claudae atque pendentes si relinquuntur, sed sequentibus suscipi ac sustineri solent, eoque facto, vitium quod erat in fine continuatio emendat. En` tibi praecipuas:

- 1) — o o / oo o / — accipere voluisset.
- 2) — oo / — o / (vel — oo) commemorabitur; perdita consilia.
- 3) o o — / — amplius exspectes.
- 4) o — — o — amicos tenes.
- 5) — o — o — salute cogitem.⁽⁶⁾

(1) *Orat.* 216.—(2) *Coaf. Orat.* 217: ne jambus quidem...: et *De Orat.* III, 193.—(3) **Wuilleumier**, *La theorie Ciceronienne de la prose métrique*, in Rev. des Etud. Lat. 1929, pag. 70.—(4) **A. W. de Groot**, in Rev. des Etud. Lat. 1925, p. 192; **Laurand**, *Manuel des Etudes Grecques et Latines*. T. II, n. 612.—(5) *Inst. Orat.* IX, 4, 70.—(6) **A. C. Juret**, *Principes de métrique grecque et latine*, p. 48.

Haec mihi fere in mentem veniebant quae dicenda putavi de rythmica Ciceronis dictione. Quibus expositis, concludere liceat cum Quintiliano: «Nec ego cum praecedentes pedes posui, legem dedi ne alii essent; sed quid fere accideret ostendi». (1) Ceterum, assidua optimorum scriptorum lectio, sapiens judicium, et delicatae aures, «quae plena sentiunt, et parum expleta desiderant, et fragosis offenduntur, et levibus mulcentur», paeceptis rhetorics imperant; in hujusmodi enim fiet *natura duce melius quam arte*.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

SOCIETATI JESU MEAE

CARMEN ELEGIACUM (2)

Ergo cara mihi, carissima membra beati
Lege Sodalicii dissoluenda mei,
In patriaque sua hic illic nonnulla manebunt,
Maxima pars vitam ducet in exilio?
Ejus in excidium conspiravere nefanda
Quotquot in Hesperia sunt inimica Deo,
Venales pretio calami, mendacia scripta,
Summum in Pontificem mens mala, livor edax
Et malesuada fames, odium fictique timores,
Quodcumque in toto militat orbe mali,
Agmine nos facto circumfremuere; ruinam
Ingemuit nostram quicquid in orbe boni est.
Causa mali tanti? teneram formasse juventam
Artibus ingenuis, edocuisse bonum,
Extirpasse malum, mores sovisse probatos,
Verba Dei populis exposuisse pie,
Effluuisse animos hominum sub imagine Christi,
Legibus aeternis instituisse rudes,
Semina factorum recte sparsisse per urbes,
Oppida perque inopis fumida tecta casae,
Carcere conclusis solacia cara tulisse.
Infirmis etiam nocte dieque sacra,

(1) *Inst. Orat* IX. 4, 109. —(2) Latam legem de Societate Jesu in Hispaniae provincialis dissolvenda, tamquam aliquam calamitosissimam tempestatem, quae ut quam citissime transeat a D. O. M. petere omnes enixe debemus, per totum terrarum orbem pervasisse omnibus in conerto est. Ea scilicet mihi occasionem attulit hujus carminis elegiaci conscribendi, quod certe vestigia premitt illius nobis haud ignoti, quod extincta Societate cecinit vir nobilissimus, P. Michael Denis (1729-1800), Bavarus, Praefectus Bibliothecae imperiali Vindobonensi, cuius versus nonnullos in hanc elegiam transferendos putavi.

Tinxisse extremas sudore et sanguine terras
Quas sol exoriens occiduusque videt,
Ut nostris studiis et America plurima plena
Pro Christi sancta relligione foret.
Et Serum regio, quae hodierna voce Sinensis
Dicitur, atque ingens India dives opum;
Tot claros genuisse viros, clarissima quorum
Gesta uni soli plurima nota Deo,
Tot claros genuisse viros, quos nescia mortis
Innumeris loquitur fama voluminibus,
Versandis euidem noctuque diuque legendis,
Dum mens Roma sacri, dum caput orbis erit.
Sed nihil haec: aris et tectis pellimur, atque
Solvimur officiis alter ab alterius,
Officiis fratrum, et patriis dijungimur oris;
Dulce at pro Christi nomine multa pati.
Heul tantum potuit vis conjurata malorum!
Sic tenebrae caecae pectora noctis habent!
Aurea saecla tibi infelix redditura putasti,
Hesperia, a nostri clade Sodalicii?
Credula! tolle oculos, mundum circumspice totum,
Quaeque fuit facies, nunc quoque, crede mihi,
Qua fuit Europae facies in morte meorum,
Haec rerum facies ipsa videnda tibi.
Aspice jam infensas urbes, agitata malorum
Agmina in infestum proruere exitium,
Sacra profanata et combustas ignibus aras;
Pro pudor! in cineres templa redacta Dei.
Insultat caelo impietas, reverentia legum
Nulla, fides cessit, fasque pudorque procul,
Per vetitum ruit omne, nefas! corrupta juventus,
Cui flos aetatis marcidus ante diem.
Sunt minui aut etiam averti potuisse ruinam,
Qui nostro incolumi corpore stante velint:
Sunt euidem. Mihi non tanta est fiducia nostri;
Quarenda a solo Numine nostra salus.
Aspera quod nobis si sors subeunda, sodales,
Haec erit ad mortem mens mihi fida comes:
Pro Jesu patimur commisso crimine nullo;
Felix pro Jesu qui patietur erit!

Josephus LLOBERA, S. J.

PRIMUM ET PRIMO

Jam denique postremum inferamus gradum in designandis *primum* inter et *primo* discrepantiis.

Hucusque dicta locum non obtinent nisi quando adverbia numeralia *primum* vel *primo* sola per orationem decurrunt. Ea nimirum adverbia novam induunt speciem cum enumerationibus seu distributionibus serviunt sive factorum sive argumentorum, sequentibus juxta textus sententiam *iterum, secundo, mox, dehinc, inde, deinde, postea, post, jam, tum, nunc, postremo, extremo, extremum, ad extremum, ultimo,* (1) *denique, tandem, demum.*

Sequentia igitur ex classicis repetita teneto. Optime *primum* usu adhibetur cum scriptor se velle ostendit cuiuspiam rei rationem primitus animo habere, aut alterius animo ita inesse adfirmat. *Primo* vero, quo in casu facile supplere licet substantivum *loco* vel *tempore*, cum preponitur ordo quo aliquid sit vel juxta quem aliquid *primum* obtinet locum, sive est in eventibus sive in praestantia, nulla habita ordinis ratione qua ab auctore tractari volunt facta.

In hunc sensum trahi debent Forcellini verba, (2) quibus ille *primum* a *primo* discrepanrias declarare intendit. En tibi illa intepollatis verbis explicata: «**Primum ad ordinem rerum pertinet** (ad ordinem sc. quem sibi narrator fingit in scriptione servandum) *primo ad tempus* (quo aliquid evenisse scriptor adserit). *In primum animo obversatur ordo quo res primum locum occupat* (in aestimatione nempe auctoris relate ad ordinem suae narrationis). *In primo consideratur punctum temporis in quo res sita est*» (i. e. ordo significatur quo aliquid *primum* locum obtinuisse dicitur.)

(1) *Postremum et ultimum sibi volunt:* por la última vez. Si id facis hodie postremum me vides (Ter.); dum *postremo* et *ultimo* vim habent: finalmente en último término. Ex quo fit ut veteris *postremum* et *ultimo* in enumerationibus abuti. Recte ergo: quidquid dicunt, laudo; id rursus si negant, laudo id quoque negat quis, nego; ait, ajo: *postremo* imperavit egomet mihi, omnia adsentari (Ter.). - (2) Lex. totius Lat. ad verbum *primum*, versus finem.

Videssis exempla haec Ciceronianæ: «Quaero igitur vester Deus, *primum* ubi habitet, deinde...» cet. Hic *primum* nullum alium, ut patet, ordinem ostendit nisi quem servare præsumebat Tullius ipse in suo de Deorum natura tractatu. Ast contra, in hoc ejusdem exemplo: «Antea vel judicari primo potuit vel amplius pronuntiari...» cet., ordinem describit quo res in rerum natura accidere valuit.

Praefatam distinctionem ad unguem conservatam invenies et in his et in aliis sexcentis exemplis quae in medium adferre possum: «Quare dicemus *primum* de genere ejus, deinde...» cet. (Nep.) «Datur potentibus venia dissuadente *primo* Vercingetorice, post concedente...» cet. (Caesar).

Ne tandem manca evadat scripticula haec notatu digna congeram.

Apud scriptores optimos saepenumero *primum* vel *primo* occurrit non sequentibus particulis *tum, deinde, postea*, cet; pariter hae particulæ non semel se tibi obferent, absentibus a suo membro *primum* aut *primo*.

Extra enumerationes semper *primum* adhibebis praecedentibus particulis *ubi, ut, cum, quam, nunc*; itidem *dum* post veniente.

Secundum per *iterum* subponi debet; cum enim *secundum* prospositio sit significans *según, conforme, jure merito* ex his enumerationibus exsulat.

A *tertio* in posterum sursum ascendendo tantummodo adverbia *in-um-usi-tata* inveniuntur apud auctorum primores; quae in-o desinunt paenes solos vates atque non classicae Latinitatis auctores derelicta sunt. Cum igitur opus tibi sit longiorem prosequi distributionem, numeros per particulas superius positas supplebis; *tum, deinde*, cet...

L. FANLO. C. M. F.



Apollo in Belvedere

Quod conspicis bustum, care lector, ex celeberrima est statua, quam magna admiratione conmoti plurimi artium cultores in cavaedio Vaticano, Belvedere nomine, contemplantur. Auctorem, ut videtur, Euphratorem habuit Praxitelis eximii viri alumnum. Qui vero nunc exstat Apollo apud Astium saeculo XV repertus est, at non verus sed imitatus ut ex fusa chlamyde, quae de brachio demittitur, adparet. Minorem certe in proprio artificis opere indueret chlamydem, arcumque manu tenderet; in umeris enim adhuc sagittarum pharetram cernere licet. Mirifica pollet altitudine totaque corporis conformatio illi profecto appetatur de quo poëta: «Sic tunc totum diem usque ad solem occidentem convivabant, nec quicquam animus indigebat dapibus aequis. Non cithara perpulcra quam tenebat Apollo, et Musis quae canebat alternantes voce pulcra. (Iliad. I-601) Illius coma pulcre eleganterque composita, divinus veluti nimbus inmortale quidem caput praecingit. In fronte, in adspectu, in facie, toto vultu, egregii sculptoris opus perspicitur, sed etiam numen artium cultoribus salutare. Tota illius figura et forma tamquam vestigium ac poëseos, dramatis, musices, ipsius denique artis imago



oculis obversatur. Nec ea subit animo forma: Nubes cogens Juppiter» (Iliad. I-511), ne illa quidem qua «Olympius-adparet fulminator» (Iliad. I 580), neque ut Neptunus «Terraee quassator» «Terramque cingens» (Hym. Homer. XXI, in Nep.) nec ut «Mars praepotens, currum gravans, aurea galea insignis, magnanimus, clypeatus... (Hym. Homer. VII, in Mart.), sed mirabili quadam ac plane divina sollertia Phoebi Apollinis personam effingit atque perfecte exprimit: Citharam in manibus habens admirabiliter ludens (Hym. Homer. I-515-in Apoll.) Cujus denique persona hoc memoriae proditur monumento, qui He- liconis et Parnasi incolas artiumque excultores tuetur atque illis confabulari juvat. Merito igitur inde a saeculo XV ad hoc praeclarum artis monumentum mirandum omnes convenerunt pulchritudinis existimatores, vestigia sequentes Michaëlis Angeli et Raphaëlis qui hic juxta Apollinis in Belvedere statuam verissimum pulchritudinis judicium consecrarent et certe perhauserunt.

PHIDIACUS



Domus paternae desertor

II – Quaerendo laborem

JOHANNES ET ANTONIUS

- J. – *Salvus sis, mi domine!*
 A. – *Et tuus prosper adventus, amice. Quid rei est tibi apud me agitandae?*
 J. – *Parisios scilicet veni, qui laborem anquirerem.*
 A. – *Hoccine loco vitam traducis?*
 J. – *Etiam, duos abhinc menses.*
 A. – *Idne quaesitum huc venisti, quod domi abundat?*
 J. – *Videbis...*
 A. – *Quid causae est, cur domum reliqueris?*
 J. – *Ita scilicet: huc me sponte mea recepi.*
 A. – *O facinus quidem bellum scitumque!*
 J. – *Atqui me cepit odium ruris, neque incommodam pone boves vitam transigerre juvat.*
 A. – *Quomodo, amabo, eam transiges? Numne post clatrulos tribus francis in die literas pingendo?*
 J. – *Haud multum quidem scribere novi.*
 A. – *Post transveham, forsitan ut vectoribus sub dio schedulas impertiaris?*
 J. – *Neque id muneris juval; periculosem nempe satisque fastidiosum est.*
 A. – *An vero post carrulum, genera ipse alicujus mercis comporians?*
 J. – *Atat... num desunt alia officia?*
 A. – *Est munus quidem jucundissimum publicani; eo vero funguntur, quibus in ipsis sunt instrumenta... (dinumeranda pecuniae gestus). Alia quoque sunt maxime in honore, mensarii, praediatoris...*
 J. – *Istaec homini minime congruunt.*
 A. – *Sunt et alia perutilia, quae tirocinium requirunt: typographus, mechanicus, phrygio... Esne functus aliquo eorum?*
 J. – *Minime hercle.*
 A. – *Non desunt et alia faciliora, ut silicarii, fossoris, lavatoris, coqui, famuli ad tryblia in diversorio fricanda...*

II – Buscando trabajo

JUAN Y ANTONIO

- J. – ¡Buenos días, señor mío!
 A. – ¡Bien venido seas, amigo! ¿Qué negocio se te ofrece?
 J. – Sencillamente: he venido a París en busca de trabajo.
 A. – ¿Y ¿vives en estas tierras?
 J. – Sí, señor, desde hace dos meses.
 A. – ¿Acaso has venido a buscar aquí lo que sobraba en tu casa?
 J. – Usted verá...
 A. – ¿Por qué causa, pues, has abandonado tu casa?
 J. – Muy sencillamente: he venido aquí espontáneamente.
 A. – ¡Vaya una bonita hazaña!
 J. – Por fin me aburrí de la vida de campo y ya no quiero pasar mis días tras los bueyes.
 A. – ¿Pues cómo vas a pasarlos? ¿Acaso tras de unas celosías escribiendo a tres francos por día?
 J. – Yo no sé escribir mucho.
 A. – ¿Quizás detrás de un tranvía, distribuyendo billetes a la intemperie?
 J. – Tampoco este empleo me gusta; tiene sus peligros y además es bastante fastidioso.
 A. – Pues ¿detrás de un carro, transportando las drogas de algún comercio?
 J. – Pero, señor mío, ¿por ventura no hay más oficios que éstos?
 A. – Sí, hay uno muy bonito, el de asentista; pero este lo tienen los que... (gesto de contar dinero). Hay otros también muy honrosos, como banquero, terrateniente...
 J. – Estos no son para mí.
 A. – Hay algunos muy útiles, pero requieren aprendizaje como el de tipógrafo, mecánico, bordador.... ¿Has ejercido alguno de ellos?
 J. – No, señor.
 A. – No faltan otros más fáciles, como el de empedrador, minero, blanqueador, cocinero, mozo de hotel...

- J. — *Id quidem jam novi muneris, sumque totos per menses fricandi tryblia defessus.*
- A. — *Bene habet. Forsan munus raedarii aut id genus aliud juvabit... haud esset tibi pone boves eundum...*
- J. — *Tu facis mihi ludos; alii ejusdem atque ego farinae invenerunt Parisiis locutionem honestam.*
- A. — *Atqui in eorum domo non erat, sicut in tua, pater onustus labore, eisque plus erat quam tibi studii laborandi... Cedo mihi: quantum est tibi pecuniae?*
- J. — *Quinque dumtaxat franci.*
- A. — *Do igitur quinque et viginti, et focos iterum petes.*
- J. — *Non ita... nullo modo...*
- A. — *Quidni, homuncio?*
- J. — *Nescio... sed ad pristinam vitae consuetudinem nullo modo revertar.*
- A. — *Duobus abhinc mensibus lapsana vivis, orbusque auxiliis opumque, nonne?*
- J. — *Vera cantas.*
- A. — *Id vero status videris tibi compositurus, an non?*
- J. — *Haud equidem scio... fors et... hoc non obstante...*
- A. — *Hoc non obstante, cavendum tibi est pro locatione. Quod res autem sese dant, nescio in quo plus praesidii reponere valeas, quam in domo inconsulte derelicta. Quam ob rem ad dictum; trahaculum hac ipsa sera consendes domumque remigrabis paternam.*
- J. — *Firma stat sententia, domine mi, ne que versoriam capiam; ubi libet enim mihi licet conmorari. Proinde fac mihi quaeras locationem, quod statuta hujus officinae praestitunt.*
- A. — *Quae tandem melior esse potest, quam locatio in domo paterna...? Si adeo contendis, operam ipse, ut in quemdam te angulum terrae abdam, navabo.*
- J. — *Quid, malum! Vel in ipso apice turris Eiffel...*
- A. — *Curam abjice et bene vale.*
- J. — *Tuque in viola sis. Vale.*
- J. — *Este oficio ya lo conozco y estoy cansado de fregar platos durante meses enteros.*
- A. — *Está bien. Quizás te agradaría el oficio de cochero o cosa semejante... no habrías de ir precisamente detrás de los bueyes...*
- J. — *Usted se burla de mí; bien han encontrado en París buena colocación otros de la misma casta que yo.*
- A. — *Pero en su casa no había, como en la tuya, un padre cargado de trabajo, y tenían más ganas de trabajar que no tú... Díme: ¿cuánto dinero tienes?*
- J. — *Sólo cinco francos.*
- A. — *Pues te doy veinte y cinco y te vuelves luego a tu casa.*
- J. — *De ningún modo... esto no...*
- A. — *Y ¿porqué no, infeliz?*
- J. — *No lo sé... pero de ningún modo vuelvo a la vida pasada.*
- A. — *Hace dos meses que te estás consumiendo de miseria y estás sin oficio ni beneficio, ¿no es así?*
- J. — *Así es en verdad.*
- A. — *Y ¿te parece que remediarás este estado, o no?*
- J. — *No lo sé... quizás... no obstante...*
- A. — *No obstante, te debes procurar alguna colocación. Y como van las cosas no sé en qué mejor puedes contar que en tu casa tan inconsideradamente abandonada. A lo dicho, pues; esta misma tarde subes al tren y vuelves a la casa paterna.*
- J. — *Señor, mi resolución está firme y no mudaré de parecer; yo soy libre en vivir donde quiero. Por consiguiente, procure V. buscarme colocación como determinan los estatutos de este establecimiento.*
- A. — *Y ¿dónde puedes tener mejor colocación que en la casa de tu padre? Con todo si tanto te empeñas, procuraré meterte en algún rincón de la tierra.*
- J. — *¡Qué diantra! En la misma punta de la torre Eiffel...*
- A. — *No pases cuidado y adiós.*
- J. — *V. la pase bien. Adiós.*

De re rustica



Arvum ut conlurent nobiscum. obiterque naturae librum intueantur lectores nostros hodie invitamus. Quam sane rusticarum rerum considerationem, ni fallor, nemo erit, qui urbium habitantibus ducat incongruam, minimeque linguae Latinae insolentem. Illa quidem calamo Catonis, Columellae, Varronis, Plinii... naturae mira narravit arcana, Vergiliique eclogis poësim mirifice honestavit.

Pictura hujusmodi pagellae nobis praecipuum regni vegetalis typum ostendit, arborem nempe, quae et naturae est ornamentum clarum et vitam humanam fructu, flore,

ligno, odore maxime oblectat; inde hominis in ea propaganda labor et cura. Occasionem igitur nos adripientes, nonnulla in praesentiarum de agri cultura dicemus, eo scilicet scopo, ut nostris scholasticis usitatiora rusticae vitae fiant nota vocabula.⁽¹⁾

Primaevi quidem humanitatis temporibus, agri cultura fuit apud terricos quasi primum omnium negotium. Id tum ad unguem adimplebatur, quod dixerat Deus in paradyso: «In laboribus comedes ex ea (terra) cunctis diebus vitae tuae». ⁽²⁾ Hominis vero in dies et levitas invaluit et inconstantia, ex quo honestissimum munus in pejus denique venit; quodque antea erat munus vel regum, tum illud proprium est factum servorum officium. Notus est, exempli gratia, mos Romanorum, apud quos officium agri colendi ad finem Reipublicae

(1) Est factum quidem perspicuum auctoribusque evulgatum, influxus pristinae ruricolarum vitae in vocabulario Latino. Attento enim consideranti animo est agricultura quasi fons uberrimus multarum dicendi rationum, quae temporum cursu ad alia dominia devenerunt. Hujusmodi sunt verba: acervus, calamitas, delitare, emolumen-
tum, felix, pecunia, rivois, saceulum, tribulare... Le rustica in primis lingua decerpta. Recole etiam sequentes expressiones tropologicas: vada carina sulcare, aequor arare, praelia serere, barbam metere, polus sidera pascit, sarrire saxum, mare mugit... Ac denique mirare ejusmodi vitae influxum in nominibus injungendis, quorum alia nominibus animalium (Asinus, Caninus, Caprarius, Ovidius, Porcius, Vitellius), alia plantarum (Caepio, Cicerio, Fabius, Lentulus, Piso), maxime congruent. Cf. Ferd. Antoine, Les Caractères de la langue latine, pag. 79-83 et 98. — (2) Gen. III. 17.

mancipiis suis committebatur, quae animalium loco machinarumve pertractabantur omnino.

Ab ejus quidem ortu fuit populus Latinus agri studiosissimus, de eoque fert Horatius: «Rusticorum mascula militum proles Sabellis docta ligonibus versare glaebas.» (Od. III, 6). Historia gentium teste, eorum vita stabiliebatur primitus in agri cultura. Populus autem vires morales tamdiu conservavit integras, quamdiu vis socialis pristinam vitae facilitatem. Vel in melioribus Reipublicae temporibus agri cultura, una cum re politica et bello, fuit Latinorum occupatio praecipua; id autem intellege de eris, qui cum Horatio dicere valebant: «Beatus qui procul negotiis paterna rura bobus exercet suis.»

Pernotum illud quidem est dictum: Latifundia perdiderunt Italiā. Tempore quippe progrediente, agri venerunt in potentiorum ditionem; unde et parva proprietas mire inminuta est, et mancipiorum negotium multiplicatum, unde mores in dies pessum eunt. Variā plane instrumenta in usu erant Romanis agri colendi. In primis aratrum adhibebatur, cuius quidem absimiles erant rationes, aliae scilicet sine rotis, aliae cum illis, quae plastraratra nuncupabantur. Partes aratri praecipuae erant: buris, dentale, stiva, temo, vomer. Agricolae etiam aliis utebantur instrumentis: ascia, bidente, falce, ligone, occa, pala, pastino, rastro, rutro, sarculo, tribulo, urpice, valgio, cet...

Agri cultura hodierna majorem prorsus operariorum partem occupat atque pratorum, hortorum, florū, vinearum, arborum cultum amplectitur. Intendit etiam pecuariae facienda et cultui columbarum aviumque domesticarum. Fovet tandem propaginem insectorum utilium, apum et vermium sericorum, atque pisciculturam. Machinae in usum agricolarum sunt fere innumerae omnibusque laboribus aptissimae; nempe arando, seminando, sarriendo, metendo, terendo, cribrando, expurgando, paludibus exsiccandis, solo aequando, cet... Nonnullis faciemus finem vocabulis phrasibusque vitae rusticae in commodum adulescentium.

I.	1 Raiz	<i>radix</i>	9 Flor	<i>flos</i>
	2 Tronco	<i>caudex</i>	10 Fruto	<i>fructus</i>
	3 Corteza	<i>cortex</i>	11 Conejo	<i>cuniculus</i>
	4 Rama	<i>ramus</i>	12 Serpiente	<i>serpens</i>
	5 Ramo	<i>termes</i>	13 Hongo	<i>fungus</i>
	6 Ramita	<i>ramulus</i>	14 Ardilla	<i>sciurus</i>
	7 Follaje	<i>frons, dis</i>	15 Pájaro	<i>passer</i>
	8 Hoja	<i>folium</i>	16 Pezón	<i>pediculus</i>

II.	Albaricoque	<i>armeniacum</i>	Acelga	<i>beta</i>
	Almendra	<i>amygdalum</i>	Achicoria	<i>cichorium</i>
	Ciruela	<i>prunum</i>	Ajo	<i>allium</i>
	Dátيل	<i>dactylus</i>	Alcachofa	<i>cinara</i>
	Fresa	<i>fraga, orum</i>	Altramuz	<i>lupinus</i>
	Granada	<i>punicum</i>	Berengena	<i>melongena</i>
	Guinda	<i>cerasum</i>	Berza	<i>brassica</i>
	Higo	<i>ficus</i>	Cebolla	<i>caepa</i>
	Manzana	<i>malum</i>	Escarola	<i>intubus</i>
	Melocotón	<i>persicum</i>	Espárrago	<i>asparagus</i>
	Melón	<i>melo</i>	Fréjol	<i>faseolus</i>
	Membrillo	<i>cydonium</i>	Garbanzo	<i>cicer</i>
	Naranja	<i>aureum</i>	Guisante	<i>pisum</i>
	Níspero	<i>mespilum</i>	Haba	<i>faba</i>
	Nuez	<i>nux</i>	Lechuga	<i>lactuca</i>
	Pera	<i>pirum</i>	Lenteja	<i>lens, tis</i>
	Plátano	<i>ariena</i>	Patata	<i>solanum</i>
	Sandía	<i>citrullus</i>	Pimiento	<i>siliquastrum</i>
	Serba	<i>sorbum</i>	Puerro	<i>porrus</i>
	Uva	<i>uva</i>	Zanahoria	<i>carota</i>

III. ACCOLA.—Heus, bone, quo nunc adeo citus proficisceris?

INCOLA.—Praedia scilicet rustica petebam; ibi enim labor est.

A.—Lubens, ni urgeret tempus, te comitarer; nam prope fundum via mihi flectendum est. Quid vero nunc laboris?

I.—Ut nunc est, aratro solum perstrin gam; deinde me in occando juvabit filius arvo.

A.—Improbum id quidem erit. Tamen conditiones insitionesque affluentes, nonne?

I.—Sane quidem; ut enim sementem feceris, ait proverbium, ita et metes.

A.—Gaudeo, hercle, atque tibi omnia prospera ominor. Vale.

I.—Grates habeo, amice, tibique in civitatem iter bene vertat. Valebis.

PATER.—Age habenis mulos ut deinceps rectius sulcos lirasque ducant.

FILIUS.—Ast aratrum usque resilit, nec bene terra subigitur.

P.—Dentale infigam accuratius; quod nisi sat erit, mox agrum repastinabimus ambo.

F.—Quam sunt morosi muli! Pensum absolvemus nunquam!

P.—Sat cito, qui sat bene. Si tamen abundans erit messis, machinam in arando citissimam comparabimus.

F.—Atqui et machinae mulorum loco terram proscindunt?

P.—Ita est; eas autem tractoria agri cultores adpellant.

F.—Eme igitur tractorium, sicque citius ludum contendam.

P.—Verum antea in me juvando operam navato.

F.—Faciam lubentissime.

P.—Nunc arvum ad faciendam messem, pergemus; quam ob rem et plastrum et instrumenta para messoria.

F.—In stabulum eo educturus equam.

P.—Ne ira bestiam stimules, furcifer, quae multum hodie in campo labratura est.

F.—Hem, secale et hordeum cocta sunt, triticum autem non ita!

P.—Illud alio die metemus; nunc ceterum frumentum.

F.—Malum ego conserendo, ut aliquid decerpam fructus; sitis enim me coquit.

P.—Ne repas in arborem, sed scalam adhibe; alias bracas, quod fit plerumque, abscondes.

F.—Hui, quam cordus hic fructus! Alium quaeram mitiorem!

P.—Descende jam, et juva me in metendo; adfer mihi falcem messoriæ.

F.—En illa; ego autem non metam; dorsum mihi dolet.

P.—Atqui et inde proventuro carebis pane, deses.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.



Eximia a juvēne Claret reportata victoria

Adulescentem Claret maxima proscutum esse dilectione caelestem Reginam, satis superque demonstrat divinae Matris remuneratio, in eum namque gratias et beneficia plena manu effudit. Quam gratiam Antonio in aulis Seminarii Vicensis philosophiae operam navanti benefica Mater fuerit largita, paucis referam verbis.

Maximo studio illi sese dederat, cum tenebrarum princeps virtutem, adulescenti carissimam, periclitari voluit. Quadam hiberni temporis die juvenis Claret in morbum incidit, quam ob causam lecto dies aliquot incubuit; et dum corpus infirmitatem sustinebat, anima magno adfiebatur maore, et quemadmodum ventis navis rejicitur, paullumque abest quin scopulis inlidatur, ita inmaculatus ejus spiritus a perennibus ac juratissimis hominum hostibus, magnis temptationibus acerrime impugnatus, in peccati voraginem jam jam casurus sibi videbatur. Impetum magnae temptationis cohicens actum, crucis signo se munire, cogitationem ad alias res distinere, precibus ab angelis postulare, ut se diabolicis explicit laqueis; sed, perinde ac si precibus nequidquam insisteret, magis magisque tentatio increbrescebat. Ab imo pectore preces usque efferentur, sed quasi in cassum missis, temptationis impetus magnum capit incrementum. Jam navis, exesperatis fluctibus, obrui videbatur, cum subito magno adfectus est gaudio; adspexit namque subridentem mundi Reginam, quae caelo descendens ei, amoris plena, accedebat. Tunica pretiosissima induitur castissima Mater, velum forma fulgidum ejus operit caput,

atque ab umeris palla pulcherrima pendet. Adulescens Claret Eam vidit, tutelaribus angelis niveas tunicas indutis, palmasque candidas ferentibus stipatam, pariterque animadvertisit diabolorum turmam, qui ut acies profligata, fugam in profundum inferiorum capessemant.

Vix nequissimi hominum vexatores evanuerant, cum cubiculum in paradisum fuit immutatum. Alma Virgo, Jesus in brachii portans, ad juvenem accessit, atque florum serto formoso ejus exornavit caput, dum caelesti suavitate haec dulcissima verba protulit: «Antoni, hac conserta rosis laurea te donabo, vincto si evaseris». Quae cum ad juvenis aures pervenissent, tam ineffabili fuit gaudio cumulatus ut paullum afuisset quin anima e corpore discederet. Tandem dulcissima Domina ab ejus conspectu aufugit, odorem ut recentiorum florum exhalans. Ut caelestis visitationis effectus, animarum hostes juvenem Claret hujusmodi temptationibus in posterum non provocarunt.

Maria igitur opem fert et auxilium cuique, cum inter procellas et tempestates fluctuat et ad Eam, stellam maris, oculus adlevat et, ne procella submergatur, confidenter efflagitat. Ita Vlis. Conditor noster vincto evasit, quia temptationum ventis insurgentibus, istam adspexit stellam. Nos quoque ejus vestigiis inhaerentes, in periculis, in angustiis, in rebus dubiis ad Mariam oculos nostros levemus; Ipsam, misericordiae sinum omnibus aparentem, cogitemus, ut aeternam beatitudinem adsequi tandem mereamur.

Jacobus M.^a CODINA, C. M. F.



EXERCITATIONES SCHOLARES

Marmor Parium et vile Saxum

Athenis (1) quondam genus (2) antiqui Cecropis
 Condere (3) parabat templum valde nobile,
 Diis quod esset patriis debitum decus.
 In colle summo (4) acervus (5) lapidum maximus
 Erat congestus ad tollendam in aera
 Sacram aedificii molem. Parii marmoris
 Advecta rupes rarae magnitudinis,
 Pretio ac volumine tam grandi superbens,
 Saxum e vili materia, tantum robore
 Praestans, quod architectus destinaverat
 Crepidini (6), acerbis sic adfatur vocibus:
 Te miserum oportet, imo occultatum loco,
 Honore nullo in aevum (7) delitescere (8).
 At mihi sorte datum (9) maximo in fastigio
 Divitias generis atque pulcritudinem
 Artis proferre (10) tantae; namque ero modo
 Venus aut Apollo aut Mars aut ipse Juppiter.
 Reponit alterum: Quantum arrogantia
 Te stulta versat! Parium sis marmor licet (11),
 Tua nusquam prodesse potest nobilitas tibi,
 Nisi ego sub terra consistam saxum rude
 In aede erectum sublimemque sustinens.
*In civitate cunctis, modo (12) probi velint
 Et actuosi pro naturae viribus,
 Bonum commune quaerere, laudis est honor,
 Justaque pro meritis saepe restat gratia.*

L. RoccI, S. J.

UNA CARTA

Pedro a su hermano Juan.

Barcelona, 18 de Diciembre de 1927.

Queridísimo hermano: Después del largo viaje (13) de tres días que he hecho desde Alemania a Barcelona, estando ya en casa de nuestro tío José, me han entregado (14) tu carta; la cual, como todas las tuyas, me ha llenado de satisfacción (14). Por ella me notificabas que nuestro padre se halla (15) en Madrid, a donde fué hace quinze días para arreglar (16)

un negocio de grande importancia (17). Espero pasar felizmente las Navidades (18) con él y con todos vosotros, a quienes envío desde ahora mis saludos (19). Tengo suma ansia (20) de veros y abrazaros a todos. Estoy viendo cómo manan lágrimas de alegría de los ojos de nuestra buena madre. Estaré (21) en Barcelona dos días para descansar un poco y en seguida volaré a Zaragoza. Hasta la vista, y adiós.

(1) En Atenas (abl. locat);—(2) descendientes;—(3) edificar, construir;—(4) en lo alto de una colina;—(5) montón;—(6) base, fundamento;—(7) estar escondido,—oportet te delitescere,—(8) por siempre;—(9) datum (est);—(10) publicar, dar a conocer;—(11) licet sis;—(12) con tal de que;—(13) iter;—(14) adfero;—(15) gaudium;—(16) versor-aris;—(17) negotium peragere;—(18) momentum;—(19) Domini Natalicia;—(20) praemittere salutem;—(21) desiderium;—(22) maneo.

Per orbem

Philologorum subsidia.—Hoc nomine designamus scriptoris W. Weinberger compilationem, «Wegweiser durch die Sammlungen althistorischer Handschriften.» (Akademie der Wissenschaften in Wien, Philos.-hist. Kl., Sitzungsber., 209 Bd. 4 Abh., Hölder-Pichler-Tempsky, Wien und Leipzig, 1930) Repertorium videlicet pro philologicis momenti non parvi, in quo ordine litterarum continentur bibliothecae et tabularia fere omnia, in quibus classicorum manuscriptum quodpiam custoditur. De singulis accurate sed concise notitiae necessariae traduntur.

Huic addere oportet opus Dni. J. A. Nairn, «A Handlist of Books relating to the Classics and Classical Antiquity» promptuarium, ut ita dicam, bibliographicum. In eo enim, auctorum ordine et rerum, opera praecipua designantur et editiones, pretio adnotato.

L'Istituto di Studi Romani (Roma, Piazza della Chiese Nuova).

Hoc Institutum Romanum sub titulo «Studi Vergiliiani» dissertationum volumen vati Mantuano dicavit, cui multum operae hi qui sequuntur scriptores impenderunt: Paribeni, Federzoni, Bodrero, Bottai, Fedele, Ceccheli, Galassi Paluzzi, Giglioli, Maiuri, Mazzoni, Paschini, Romanelli, Venturi, Zippel,

—Index etiam per schedas librorum omnium qui notitiam aliquam Urbis tradunt compenere curat, quod opus professori Galassi Paluzzi commendandum putavit.

—Praeterea Kal. Jan. consilium est aperiendi illud quod dicetur: «Mostra de Roma del l'ottocento» ad hoc ut Romanae civitatis statum, mores, artem, historiam... superioris saeculi, denuo suscitit omnibusque tum civibus tum exterris pateant.

Illi mus. ac Rmus. Dr. G. Tritschler.—Dre. G. Tritschler Conlegii Pii Latini Americani alumno in sedem S. Aloisii Potosi episcopo renuntiato, egregius P. Rocci, dilecti discipuli memorem recolens, hanc Latinam inscriptionem conscripsit, quam nos sermonis praesertim integritate ultro transcribimus. Ita se habet:

GULIELMUS-TRITSCHLER
 PER-XIV-CONTINENTER-ANNOS
 COLLEGII-PII-LATINI-AMERICANI-ALUMNUS
 LITTERIS-LATINIS-GRAECIS-EXCULTUS-EGREGIE
 PHILOSOPHIAE-THEOLOGIAE-JURIS-CANONICI
 APUD-UNIVES-GREGORIANAM-LAUREA-DONATUS
 XXII-ANNIS-IN-SEMINARIO-MEXICANO
 THEOLOGIAE-LECTOR-PRAECLARISSIMUS
 RELIGIOSAE-VITAE-MAGISTER-MODERATOR
 NUPER-AD-SEDEM-EPISCOPALEM
 URBIIS-S.-ALOISII-POTOSII
 BONIS-PLAUDENTIBUS-EVECTUS
 STUDIORUM-VOLUNTATEM-AMOREM-EXCIPIAT
 TOTIUS-COLLEGII-AMERICANI
 OPEM-DIVINAM-FELICIA-CUNCTA
 ADPRECABTES-ARDENTER
 IN-DEI-LAUDEM-ECCLESIAE-DECUS
 DIOCEESIS-SECURITATEM-RELIGIONIS-INCREMENTUM

A. D. MCXXXI

J. D.

Latinorum graecorumque scriptorum conlectiones.

Recens apud Italos classicorum Latinorum Graecorumque opera, scientificis adnotationibus aucta, in juvenum mediae institutionis commodum typographi alii atque alii edere cooperunt: quod sane signum est hujusmodi operis necessitatis atque praestantiae. Tres praincipue conlectiones numerabimus; una sub prelo «Chiantore» edita, curantibus G. De Sanctis atque A. Rostagni; alia in domo «Paravia», Ludovico Castiglioni rectore, quae simul cum textu et adnotationibus Italiam versionem praebet; tertia denique Fidentiae apud «Felice Le Monnier»: novae enim «Bibliothecae

Graecorum ac Latinorum Scriptorum» jam pridem cognitae, nunc demum novissima addita est sectio, in qua historicis, philologicis, juridicis adnotationibus classicorum scripta locabuntur; cui labore V. Arangio Ruiz et U. E. Paolli patrocinantur.

Responsorium

Inter. Usus litterarum initialium N. N. ad nomen et cognomen indicandum a remotis jam temporibus longe lateque diffusus, diversam accipit interpretationem quotiens de usus origine quaeritur. Putant nonnulli N. N. significare «nomen nominandum», alii vero «nomen nescio». Quid jam?

Resp. Hujusmodi explicationes potius «a posteriori» ad aliquam significationem litteris N. N. tribuendam sunt inventae, neque veram litterarum originem ostendunt, quae videtur esse in jurisoperitorum Romanorum operibus

quaerenda. Invenimus namque plures in «Gai Institutionibus» formulas judiciales, quae reum innominatum *Numerii Negidii* nomine designant: «Index esto. Si paret Aulum Agerium apud *Numerium Negidium* mensam argenteam deposuisse eamque dolo malo *Numerii Negidii* Aulo Agerio redditam non esse, quanti ea res erit, tantam pecuniam, iudex, *Numerium Negidium* Aulo Agerio condemnato. Si non paret, absolutorio» (1).

Unde actor seu accusator in jure Romano Aulus Agerius vocabatur i. e. dives qui in judicio agit, dum reus dicebatur *Numerius Negidius* sc. ille qui solvere tenetur, (numerare) quod facere tamen renuit (negare).

Inde nomen rei, vel melius nominis litterae initiales N. N., ex Romanorum iure deinde generatim fuisse videntur adhibitae ad personam, cuius nomen non indicatur, designandam. En habes probabilem N. N. litterarum originem.

Libri in Actuaria accepti

FLORILEGIUM PATRISTICUM:

S. Anselmi «Liber Monologion». Rec. F. Schmit O. S. B. 1929, Pr. kart. RM. 280.

S. Anselmi «Epistola de Encarnatione Verbi». Rec. F. Schmit, O. S. B. 1931. RM. 1'80.

S. Th, C. Cypriani De lapsis. Rec. J. Martin. 1930, RM. 2.

S. A. Augustini «Liber de videndo Deo». Ed. Henr. J. Vogels. 1930, RM. 5,

Magistri Eckardi «Quaetiones et Sermo Parisiensis», Ed. et illustravit B. Geyer. 1931, RM. 1'50.

«De causalitate Sacramentorum» juxta scholam Franciscanam. Ed. Lampen, O. F. M. 1931, RM. 2'80.

«Monumenta minora saeculi secundi» digessit, vertit, adnotavit, Rauschen. 1914. RM. br. 2'20; kart. 2'70.

«Textus antenicaeni ad primatum romanum spectantes». Ed. G. Rauschen, 1914. RM. br. 1'30. kart. 1'80. (Peter Anstein, Verlag., Bonn).

(1) *Gaius Inst. IV*, 47.

B i b l i o g r a p h i a

Hofmann, R: «Lateinische Grammatik» (auf sprachwissenschaftlicher Grundlage) Verlag R. Oldenbourg-München.-Berlin, 1929.

Alumnis Germanis non deerant quidem grammaticae scholares maximi pretii summeque utiles ad perfectam linguae Latinae notitiam adsequendam: nihilominus quam ediderunt nuper Dres. Haus Rubeqbauer et J. B. Hofmann, ea passim exhibit nova quaedam institutionis elementa quibus super alias redditur opportuna. Haec in exemplum tantum notabo. In adjectivis pronominalibus (§ 61) animadvertisit: *alius, alia, aliud, gen. alterius* dat, *alii*. Ita dixerat prius in indefinitis (§ 59): *nemo, gen. nullius, dat. nemini, acus. neminem, ablat. a nullo: et nihil, gen. nullius rei, dat. nulli rei, acus. i nihil, ablat. nulla re.* Qua etiam cura in praeteritis et supinis regularitates notat et soloecismos et vocabula ex diversis radicibus, quae non usitata supina sufficiunt. Haec et alia sexcenta quae minuta voces, novitate atque utilitate minime contempnendis donant opuscolum.

Goelzer, H: «Le Latin en poche» Dictionnaire latin-français et français-latin. Paris, 1928.

Clarus vir H. Goelzer duplex prelo dedit vocabularium Latinum-gallicum et Gallicum-latinum quod ex noto Benoit-Goelzer ampliore extraxit. Non est, ait ille, in manu sed quidem in crumena gerendum; completissimum in vocabulis, in typographica forma perfectum, omnia habet quae alumni Latinitatis in cottidiano studio desiderare valeant. Utinam apud Hispanos esset simile quidquam instrumentum laboris. Quod tamen vel Hispanis linguam Gallicam legentibus utilissimum erit.

Pagot, Ch: «Le latin par la joie» Paris, 1931. Cahiers 25-30.

Confecto extremo hujus opellae fasciculo, trigesimo scilicet, merito victo-

riam cantat clarissimus Pagot tanti consili auctor et acerrimus persecutor. Quantae fuerit mollis unus ille cognoscere valeat, quamquam ceteri divinant qui eum in itinere consecuti sunt. Nos qui eam praesertim partem cupide legebamus quae lir guam Latinam tradit, mirifice delectati sumus et, aperte fatemur, vel instructi saepe novissima illa tradendae grammaticae ratione quasi per jocum quae non solum pueros sed et adultos recreat dum ad humanitatem et litteras informat. Gratulationem nostram accipere velit sincerissimam vir egregius qui novam in docenco patefecit viam.

Dumaine, Ch: «Conversations Latinées» (texte et traduction) Paris, 1930.

Quanta sit linguae Latinae utilitas viatoribus per exterios populos opusculum illud declarat cuius jam tertiam videmus editionem. Duas habet partes quarum prima conloquii componitur ad sermonem ex Erasmo praesertim comparatis, altera vero habet plura rerum vocabula temporis recentis. De his liceat notare minus feliciter auctorem hybrida finxisse nomina sc. Graeca et Latina. Ea enim magis sermoni Latino repugnant quam quae sunt omnino Graeca. Ex his telescribere et photopingere quae melius dixerit telegraphiare et photographiare, eo maxime quod jam medio aevo, ut videre est apud Du Cange, usitatum fuit verbum *congraphiare*: *Nota membranis ea clara per se, clarior virtus tamen haec profecto congraphiata est.* (Vide ibi *graphiare*)

Marouzeau, J: «La prononciation du Latin» (Histoire, théorie, pratique) Paris, 1931.

Tenere risum vix possum cum saepe non tantum aure percipio, sed scriptum lego ideo vernaculae linguae Latinae pronunciationi insistendum vel juxta non nullos propter uniformitatem ad Italiam confugiendum, quod *classica pronunciationis* non satis innotescat. Qui nihil

de re norunt, optandum sit ut gutturi potius faveant quam ignorantiam prodant. Opusculum praeclarissimi viri J. Marouzeau docet quot homines a medio superiore saeculo ad nostram usque memoriam hanc egerint quaestionem nec sine fructu splendido; et continuo eam summatim tradit, neque late sed sufficienter probat.

E. JOVÉ, C. M. F.

Caramia, G. «Marziale Epigrammi con introduzione e commento»

Edit. Franciscus Parella, S. A. Napoli, Città di Castello, 1931.

Martialis epigrammatum collectio aptata scholaribus recens prodiit Neapoli in civitate. Conlectioni rite proponitur et prologus et introductio generalis in quibus de Martialis vita deque illius arte et poesi sermo habetur. Notulas metrices in epigrammatibus crebro adhibitas tandem subjungit Caramia. Numerum 136 divisim ex materia congesta attingunt epigrammata, quaeque inscriptionem specialem cum propria praefatione p[ro]ae se ferunt; breviter atque vernacula lingua singula epigrammatum argumenta auctor detegit. Hujuscemodi una cum repetitis commentariis et perspicuitate et eruditione et politione plenis haud parvum scholasticis erit praesidium ad hoc ut textus intellegant et bene capiant, neque accidet juvenum incuriae ut faveat. Prudenter equidem epigrammata quae dicuntur satis faciunt tam ad judicium de Romanorum interiore vita gigendum quam ad poetae Bilibilitani ingeniosas argutias degustandas.

Lucio Anneo Seneca. «*Della Tranquillità dell'Anima. Della Brevità della Vita.*» - Texto critico e versione di Luigi Castiglioni. - G. B. Paravia et C. - Torino, 1930.

Ferventi animo Aloysio Castiglioni gratulamur, qui in vertendis «De Tranquillitate animae et De Brevitate vitae»

(Libri IX et X Diálog. Sen.) exoptatum ad finem pervenit.

Profecto ille qua est modestia non alium scopum intendit quam ista sua traductione viam parare ad criticam editionem perficiendam illorum opusculorum textus. Ad hoc curavit fontes indagare, e quibus Seneca doctrinam exhaustire potuisse; quae res non parva difficultate laboreb[us]t, cum aegre aestimari possit quid Senecae, quid aliorum proprium sit. Castiglioni in sua versione et Senecae animum retulit, et verba; etsi ad primum attingendum illi opus fuit alteram aliquotiens praetermittere. Ut uno verbo dicam; versio non minus emphasis, non minus ingenuitatis, non minus ordinationis logicae in sermone habet quam originalia Senecae opuscula. Textus latinus critico comitatur apparatu qui crebras continet notas ad fontes graecos.

Auguste Turlupine.-«Virgilio» (Psicografia) Ed. Araluce, Barcelona, 1931

Libellus iste D. Turlupine, sapore gentilico, quo Vergilianum aevum floruit, imbutus, perfectam Latini poëtae effigiem nobis exhibet. Hunc sibi scopum proponit auctor, lectoribus sc. ostendere Vergili vitam, animi sensus, et motus versus pacem, sublimem Mantuani vatis metam. Psicographia pulcris descriptiōnibus decoratur, quae efficiunt ut sententiae nunnulæ exaggeratione labores, oblivioni dentur, et ex animo parum gratae connomo deleantur. Quod ad IV Ecl. attinet, eam Pollionis filio adjudicat. Hispanica dictio non admundum castigata operis nitorem obnubilat.

J. GIRAL, C. M. F.

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.

Moderator

Typegraphia F. Camps Calmet, - Tarregae